

654.

1278 d. 21 Dec.

Jönköping.

Kon. MAGNUS I:s Bref rörande utbyte af flere Kronogods i Njudinge, m. m. emot annat Linköpings Domkyrkas gods.

A. 3. o. 1: 8.

Omnibus presentes litteras inspecturis. M. dei gracia rex sweorum salutem in domino ihesu christo. Serie presentis scripti in publicam modernis proferimus noticiam, & memorie transmittimus futurorum, Nos cum venerabili patre domino Henrico Episcopo lincopensi ex consensu capituli sui, nostrorumque procerum, permutacionem fecisse prediorum que inferius subscripta continentur. videlicet de bonis fiscalibus regni svechie predia omnia in parrochia nessiohult niudungie, culta siue inulta cum piscarijs omnibus ibidem. necnon & prediorum dictorum skaeglör in parrochia skire cum piscarijs ibidem dictis salghowirke, anahult in parrochia Widisrum Dantes & tradentes dicto domino Episcopo nomine ecclesie lincopensis pro predijs scilicet in sandum vnius octonarij & dimidij. In iedrom octonarij & dimidij. In rödka septem octonriorum. In liongarum tercia parte octonarij. In rýde tercia similiter vnius octonarij, que nos acceptasse & recepisse, nobisque tradita fuisse recognoscimus ab ecclesia lincopensi & memorato Episcopo in permutatione pro ipsis predijs nostris fiscalibus supradictis. Cum igitur sicut iam protestatum est predictum contractum predictorum prediorum interuentu, & hinc inde tradizione facta cum omni perfectione duximus ineundum, dicte ecclesie ea ratione iusticie consultum esse uolumus & prospectum, qua iure euidentissimo consulitur seu prospicitur fiscalium rerum quocumque legitimo titulo adeptoribus, vt ipsa videlicet de predictis predijs et piscarijs cum omnibus eorumdem pertinencijs et iuribus iam statim tuta persistat, & dicta predia et piscarias cum omnibus pertinentijs et iuribus sibi vendicare ualeat a quolibet detentore, nulla obstante excepcione seu actione, contra ipsam ecclesiam dirigenda. Sed data sit hijs omnibus licencia tempore legitimo contra nos uel fiscum nostrum agere, qui aliquas sibi super ipsis competere crediderint actiones. Ad premissorum itaque omnium euidentiam pleniorem, presens scriptum sigillo nostro, & sigillis dilectorum fratrum nostrorum aliorumque regni nobilium fecimus sigillari. Datum in castro junakøpung, anno dominj. M°.CC°.LXX°. Octauo, duodecimo kalen, Januarij.

På frånsidan: littera regis de permutacione quorundam prediorum cum episcopo lincopensi næshult skaeglör anahul salgourirke

Af 11 sigill är blott N:o 4 oskadadt och lemningar qvar efter N:o 1, 6, 7.